

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0034

0032

0038

0028

0043

0023

0083

0133

0533

1033

Ende

Anfang

23

scholis, sub eisdem magistris disciplinati, et hodie familiaritate sumus juncti. Hoc pro tanto recitare volui, quia magistrum illum venerabilem a juventute novi devotum Virgini Mariae, et a juventute usque nunc non desistit laudes gloriosissimae Virginis Mariae promovere et augmentare (191 A). Laboravit enim apud sedem apostolicam pro bulla indulgentiarum eamque obtinuit, in qua S. D. Papa Sixtus IV. magnas indulgentias concedit omnibus praefatum numerum Pater noster et Ave Maria ter in septimana dicentibus. Quam orationem rosarium beatae Virginis nuncupant. Hanc bullam ego vidi, perlegi et rescripsi. Quidam autem praefatam orationem omni die ter dicunt, et nominant eam psalterium beatae Mariae, et pro illis sunt impetratae plurimae indulgentiae, semel in vita, et semel in morte. Dicitur autem psalterium, quia sicut psalterium davidicum habet tres quinquagenas, ita et illud. Et primam quinquagenam ordinant in gratiarum actionem pro incarnatione et pueritia Christi. Secundam ad ejus passionem. Tertiam ad ejus glorificationem. Alii adhuc unam quinquagenam addunt, et XX Pater noster et CC Ave Maria dicunt singulis diebus, dicentes, quod liber Psalmorum imperfectus est, nisi post: Laudate dominum de coelis, apponantur cantica veteris et novi testamenti, et hymni, et ideo quartam quinquagenam dicunt pro canticis et hymnis, ut sit psalterium perfectum. Aliam rationem, quare quatuor quinquagenas dicunt, assignant, quia non minus decens est, beatam Virginem et fructum ventris ejus benedicere pro virtuosissima et perfectissima vita Christi, quam pro incarnatione et pro ejus morte et glorificatione. Et ideo in prima quinquagena contemplantur incarnationem et Christi pueritiam. In II. actionem ejus et vitam. In III. passionem ejus et mortem. In IV. resurrectionem ejus, et suam, matris et nostram glorificationem. Et ut oratio illa magis esset ordinata, et minus taediosa, ordinauerunt unumquodque Pater noster cum annexis X Ave Maria ad gratiarum actionem pro aliquo singulari beneficio, quod contemplantur. Ut puta, primum Pater noster cum suis X Ave Maria dicunt pro gratiarum actione pro beneficio incarnationis. II. Pater noster cum suis X Ave Maria pro beneficio nativitatis. III. pro beneficio circumcisionis et nominis

